

8<sup>b</sup>=

IV. IMPP. ROMANORUM  
 NUMMOS  
 IN MEMORIAM VICTORIÆ  
**DE SARMATIS**  
 OLIM REPORTATÆ  
 CUSOS,



PRÆSIDE

**M. GEORGIO WENDIO R.**

PANNONICIS NUMMOPHILIS CONSIDERANDOS EXHIBET

JOH. CHRISTIANUS Herzog. SILESIVS.

SYMBOLAM SUAM CONFERENTIBUS

EPHRAIMO POPRADIO, JOHANNE BEICHELIO, & STEPHANO

FÜZESSERY, HUNGARIS.

A. D. XIV. MAIL A. O. R. M. DC. IIC.

DIATRIBA POSTERIOR.

THORUNII, Excudebat Johann Balthasar Breslerus, Gymn. Typogr.



**S**ecundo loco enucleari merentur M. AVR. ANTONINI Nummi, circa quorum priorem (Schemate III. expressum) observanda cæ-  
latura, Victoriæ, per eandem designatæ, causa, objectum, gloria,  
tempus. (I.) In *Calatura* conspicua sunt varii generis arma, thorax s.  
lorica, scuta oblonga & rotunda, vexilla, sagittæ, arcus, tubæ & cornua,  
tanquam spolia Sarmatarum, cum suscriptione: DE SARMATIS. Non  
postrema enim Vincentium gloria fuit, hostibus eripuisse arma. (II.) *Vi-*  
*ctoria* causa non tam humana hic erat, quam divina, Tempestas videlicet  
prodigiola, Romanorum sitibundorum (per imbrem) commodo, hosti-  
um (per grandinem, fulminibus mixtam,) exitio, cœlitus immissa: ea-  
demq; non Chaldæorum forte aut Magorum (v. g. Arnuphis Ægyptii, qui  
a *Dione Casio* lib. LXXI. p. 811. Mercurium illum, qui est in ære, aliosq;  
dæmonas, invocasse fingitur,) Carminibus, verum unice instantissimis Legi-  
onis fulmineæ supplicationibus procurata ac impetrata. Etiam si enim cum  
Tertulliano (cap. 5. *Apolog.*) in partes non vocemus ipsius Antonini epi-  
stolam, quam Josephus Scaliger (*Animadv. in Euseb. Chron. p. 203. seqq.*)  
recentioris cujusdam Græculi, adeoq; supposititiam esse demonstrat; pro  
causæ tamen nostratis veritate satis militat, partim quod Imperator ipse  
(lib. 1. de *Vita sua* p. m. 165.) de seipso scribit: a Diogneto, (Philosopho)  
inquirens, didici, studium in res inanes non conferre: fidem abrogare eis, quæ de  
incantationibus demonumq; profligationibus, ac id genus aliis rebus, præstigiatore-  
res & impostores referunt: partim quod Claudianus (VI. *Consulatu Honorii* p.  
190.) disjunctive cecinit:

--- Chaldæa mago seu Carmina ritu

arma vere deos, seu, quod reor, omne Tonantis  
obsequium Mærci mores potuere mereri:

partim quod Scriptorum Christianorum antiquiores, Apollinaris, Tertullianus, Eusebius, Orosius, aliiq; suffragio suo hoc corroborant. Jo. Xiphilinus (p. 811.) utitur quoq; argumento, a prima Legionis Fulminatricis denominatione petito, sive quod causa alia, propter quam Legio dicta in nominis consecuta fuerit, non constet; sed cum XII. Legionis Fulmineæ, sub Trajano jam merentis, in Inscriptione veteri Tergestina fiat mentio, Dio quoq; Cassius (lib. 55. p. 562.) expresse eandem jam nominet, eidem hac in parte nondum subscribimus. (III.) Objectum istius Victoriæ non solum fuisse Sarmatas, verum plures aliæ nationes, eodem bello a Romanis devictæ atq;

atq; supplantatæ. Ita enim Pausanias: (in *Arcadicis*, s. l. 8. de veter. Græciæ regionibus:) Antoninus & ferocissimos Germaniæ populos (Marcomannos) & plurimas Barbarorum in Europa nationes, & in his SAVROMATARVM gentem, a qua multis injuriis & injusto bello fuerat provocatus, armis domuit. Et J. Capitolinus: (in *Vita Anton.* p. 88.) Gentes omnes ab Illyrici limite usq; in Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri & Qyadi, Svevi, Sarmata, Latringes & Buri: hi aliq; cum Victoralis, Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarna, Alani, Peucini, Costoboci. Absit itaq; ad solos hoc restringere Sarmatas, exclusis Qyadis, & vice versa. Unum idemq; hac vice bellum erat, quo Marcomanni, Sarmatæ, Vandali, Qyadi, Daci, aliq; eorum socii, urgebantur, communi nomine *Marcomanicum* a Principibus indigitatum. Interpres dictorum est Eusebius (l. 2. *Chron.* p. 170.) ita referens: Imp. Antoninus multis adversum se nascentibus bellis saepe ipse intererat, saepe duces nobilissimos destinabat, in quibus saepe semet, Pertinaci & Exercitu, qui cum eo in QVADORVM regione pugnabat, siti oppresso, pluvia divinitus missa est: quum e contrario Germanos & SARMATAS fulmina persequerentur & plurimos eorum interficerent. Quoniam tamen in præfens Sarmatarum quamplurimi in sociali isthoc prælio perierunt, hinc factum, ut quantumvis intra Qyadorum fines cum Qyadis aliisq; simul decertatum, Victoria tamen de *Sarmatis* maximopere reportata *Sarmatica* nuncuparetur, & Antoninus de *Sarmatis*, non aliis, triumphasse diceretur. (IV.) *Gloriam* Victoriæ potissimum Succursus cœlestis gratia, dein gentium bellicosissimarum ad internecionem usq; facta strages, suo tamen modo & Imperatoris Virtus, nobilitat. Sic enim refert Capitol. (l. c. & ex eo Eutropius l. 8. p. 819.) Antoninus bellum Marcom. gesit, sed quantum nulla unquam memoria fuit, (adeo ut etiam Punicis conferatur,) tum Virtute, (ergo non ope Incantatorum,) tum etiam felicitate transiit &c. & Roma cum Commodo, quem jam Casarem fecerat, filio, ut diximus, suo triumphavit. (confer. Orosius l. 7. *Hist.* c. 15. p. 539.) Romæ quoq; ad VII. Lucernas ideo ipsi a S. P. Q. R. sacrata Inscriptio, quod (ut ipsissima sonant verba) omnes omnium ante se maximor. Imp. glorias supergressus est, bellicosiss. gentib. deletis atq; subactis. (V.) Tempus exacte definiri nequit. (a) In Dione extat, Antoninum confecto hoc bello a Militibus septimum appellatum fuisse Imperatorem: Nummus a. noster excusus est, cum VIII. Imperator is esset. (b) Si Occoni, e TR. P. IMP. & COS. Dignitate annorum seriem colligenti, habenda fides, contigit Victoria A. V. C. 929. I. C. 178. Si Eusebio; Victoria A. Chr. 174. Triumphus A. 179. accidit. Relinquamus ergo in medio hanc Circumstantiam.

Posi-

## Positio secunda.

Circa posteriorem Ejusdem Nummum, prioris Diatribæ § 2. allegatum, notandum, (I.) RESTITUTORIS Nomen perquam paucissimis Imp. in Nummis fuisse attributum. A Sept. Sev. Pertinace, qui URBIS; a Valeriano & Aureliano, qui ORIENTIS; a Postumo, qui ORBIS Restitutores indigitantur, si discefferimus, vix unus & alter occurret, laudato elogio per Orbem celebris. (II.) Idem epitheton nemini frequentius, quam Hadriano; nemini impertinentius, quam Valenti indultum fuit. Hic nempe, utut Remp. (*Orosio teste l. 7. c. 33.*) maximis affecerat cladibus, Reipl. tamen Restitutoris ambiebat Titulum: ille vero non particularium solum Orbis Provinciarum, Achajæ, Ægypti, Armeniæ, Bithyniæ, Britanniæ, Cappadociæ, Daciæ, Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Lybiæ, Mauretaniæ, Phrygiæ, verum & ipsius Africa, Asia, adeoq; & Orbis Terrarum RESTIT. in diversis Nummis inscribitur. (III.) M. Antoninus quasi solus, & hoc quidem jure optimo, vocatus est *Sarmatiæ Restitutor*. Hic enim avulsam a Rom. obsequio regionem feliciter primus restituit, Provinciam quoq; inde facturus, si (*ut tradit Capitol. l. c.*) per annum adhuc in vivis eidem esse licuisset.

## Positio tertia.

Eidem Bello interfuit & simul cum Patre triumphavit M. ANT. COMMODVS, ut tamen ejus, jam Cæsaris facti, peculiaris aliqva in posteros redundaret gloria, peculiaris signatus fuit Nummus, per Tropæum & revinctos duos ad tergum captivos, eandem Sarmaticam Victoriæ denotans. Ceterum, quod in eodem observemus, præter Tempus, non habemus. In aversa nimirum extat: TR. P. II. COS. P. P. i. e. cusus est Nummus, cum Commodus secundum Tribunus esset, sive A. C. 178. ipso Commodo & Plautio Quintillo Coss. per quod tamen priori dubio non consulitur.

## Positio quarta.

Seculo IV. adversum Sarmatas feliciter pugnavit FL. VAL. CONSTANTINVS M. uti liquet partim e Nummo, partim ex Historia. (I.) In Nummo (Schemate IV. exhibito) sistitur: (a) Figura gradiens, alis & galea commode instructa, dextra Tropæum, sinistra palmæ ramum gestans, & hoc ipso Victoriæ imaginem referens. (b) Servus captivus, manibus post terga revinctis anæ pedes Victoriæ assidens. (c) Et ne dubitemus, per icunculas istas ad Sarmatiam respici, clara in limbo extat littera: SARMATIA DEVICTA. (II.) Historica rei Veritas tum aliunde, tum inprimis e Cedreno cognoscitur, qui ita scriptum reliquit: *Anno XXII. Constantinus, facta in Germanos, Sarmatas & Gothos expeditione, Crucis vimaginem reportavit Victoriæ, easque gentis in Servitutem egit. Conferatur Sarmicus l. 4. Ann. Pel. p. 120.*

Tantum de Nummis Sarmaticis.